VIII. *Sectio Oculorum duorum Cataractâ affectorum. Epiſtola Domini* ad Samuelem Molyneux *Armigerum, Sereniſſimo Principi* Walliæ *a Secretis, R. S. S.*

Johannes Wright, ſenex mileſque emeritus, ſuffuſione ſeu Cataractâ utriuſque oculi laborans, viſu tandem omnino privatus eſt. Curæ ſe commiſit Domini *Caywood*, Oculiſtæ *Dublinienſis*, qui acu punctoriâ oculum utrumque perforavit ad Cryſtallinum è ſede ſuâ deprimendum. Operatione verò in oculo dextro minus feliciter ſuccedente, ſiniſtri uſum ſolummodo recuperavit. Paucis menſibus poſt operationem peractam, in hoſpitium regale militum emeritorum prope *Dublinium* receptus eſt, ubi per annos octo vel novem manſit, &, per totum iſtud tempus, viſus aciem ſatis acutam habuit, adeo per urbem ſolus ambularet, & ſodalium facies diſtinguere poſſet. Mortuus eſt tandem 5° die Aprilis 1722. ſuffocatus per caſei morſulum hærentem in gula, quam adeo arctam habuit, ut eundem mortis aditum paucis abhinc annis bis ægre evaſerit. Oculi ejus, e cranio exempti, miſſi ſunt per Noſocomii Chirurgum ad D. *Thomam Molyneux* Medicinæ Doctorem, Collegii Med. Regalis in *Hibernia* Socium, & in Academia *Dublinienſi* Medicinæ Profeſſorem. In ædibus ejus cultro Anatomico aperti ſunt, per Oculiſtam ſupradictum, meque, ut intereſſem operationi, accerſere dignatus eſt. In oculo ſiniſtro (cujus aciem recuperatam fuiſſe ſupra notavimus) ſublatâ corneâ cum portione tunicæ ſcleroticæ, ne vel minimum invenimus rudimentum pelliculæ in aqueo humore fluctuantis, aut limbo iridis adnatæ, ſicut

The Royal Society is collaborating with JSTOR to digitize, preserve, and extend access to *Philosophical Transactions (1683-1775)*. www.jstor.org

ſicut ſe obſervaſſe ſcribit *Wolhouſius*. Quod vero multo magis mirandum eſt, nullæ prorſus reliquiæ inventæ ſunt humoris Cryſtallini, cujus opacitati morbum adſcribit Doctor *Briſſeus*. Humor Vitreus, quoad ſitum & conſiſtentiam, nihil præternaturale oculis noſtris exhibuit; tunica choroidea & retina fuſci coloris erant tam intus quam extra. In oculo dextro eadem omnia obſervavimus; nullum nempe pelliculæ aut Cryſtallini rudimentum occurrebat. Tunica cornea rugoſa erat & flaccida, quod aqueus humor per puncturam extravaſatus, numquam renovatus ſit: adeoque iſtius oculi uſum amiſit penitus. Cryſtallini vero defectum quod attinet, res eſt prorſus inaudita, neque ab ullo Anatomico, quantum ſcio, defuiſſe obſervatus eſt, vel leviter ſuſpectus. Militem hunc Cryſtallinum habuiſſe in utroque oculo ante operationem, nullus dubito; cum vero acu a ſede ſua detruſus eſt, ligamentis ciliaribus vaſiſque, quibus nutrimentum hauſit, penitus diſruptis, eum ſenſim contabuiſſe credo, tandemque in auras diſſipatum fuiſſe. Summopere vellem hanc rem experimento ſæpius iterato confirmatam eſſe: ſuſpicor enim idem ſemper evenire ſtato tempore poſt depreſſum Cryſtallinum.

Hoc certo conſtat ex hac hiſtoria, hominem nempe abſque Cryſtallino videre poſſe, contra opinionem *Wolhouſii* Oculiſtæ *Pariſienſis*, eâque amplius confirmatur ſententia D. Doctoris *Briſſei* de Cataracta, quem conſulas quæſo ſuper hac re.

IX. *An*